



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. LXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

## C A P . L X I I .

**N**on novum aliquod postulo ; non inauditum efflagito : ita est actum à te cum multis. O si ego ex te illud audirem, Remittuntur tibi peccata multa , quoniam diligis multum ; vel illud , Non ego te condemnno , vade & jam amplius noli peccare ; quid esset, quod felicitati meæ posset accedere ? nam quibus gaudiis exultarem ! qua lætitia perfunderer ! ut mihi cantabiles fierent justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ ! Age, Domine, ure renes meos & cor meum dulcissimo caritatis tuæ igne ; amor inquam tuus , Domine , non plagarum crepitus, non verberum ictus, faciat me fastidire omnia præter te unum , faciat me omnia arbitrari tanquam stercora , ut te lucri faciam. O ignis, cuncta consumens , amor ad te omnia trahens, voluptas omnia delectans, thesaurus omnia ditans , bonitas omnia complectens , suavitas omnia perfundens ; influe visceribus animæ meæ , teque adeo mihi totum admisce, ut ex me atque ex te unum fiat ; siquidem , qui adhæret Deo , unus cum eo spiritus est ; immo converte me totum in te , ut jam non sim amplius ego , sed tu solus in me vivas, vigeas , regnes , & cum Apostolo tuo dicam: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Deus.

## C A P . L X I I I .

**O** Domine virtutum ; scio, me rem magnam atque admirabilem petere ; sed tu, qui facis mirabilia magna solus , ad laudem & gloriam nominis tui præsta hanc rem, tam novam,

56 R E T P O E N I T . C O N F E S .

tam magnam , tam miram , ut homo , flagitiis  
ac libidinibus deditus, vel potius totus ex libi-  
dinibus flagitiisque conflatus, jam nihil pejus,  
quam carnis desideria, oderit. In quo majorem  
tibi admirationem excitabis, quam olim, cum  
ventis ac tempestatibus imperabas , cum siccis  
pedibus mare ingrediebaris , cum quatridua-  
num Lazarum ab inferis excitabas. Quid enim  
dici aut fieri admirabilius potest, quam ut for-  
des mundæ , impuriras pura, caro spiritus fiat ?  
Excita igitur potentiam tuám , & , quod fieri  
natura non potest, dextera tuæ majestatis ex-  
sequere , ut admiretur ac dilatetur cor meum,  
& cantem mirabilia tua in Ecclesia magna.  
Amen.



D E